

7^o In contractu *sub poena*, id est, quoties resilienti poena imponitur, poena haec ex iustitia debetur, si petatur, saltem si culpabiliter contractus adimpletus non est. Poena tamen moderata esse debet; secus non obligaret.

8^o In contractu *sub disiunctione*, v. gr. promitto bovem aut equum, nulla res determinata debetur, et unius solutio totam obligationem tollit. Electio rei *per se* pertinet ad debitorem.

ARTICULUS III. — DE CONDITIONIBUS CONTRACTUI APPOSITIS.

795. — Conditio est qualitas (1) contractui adiecta, quae plerumque illum suspendit, donec impleatur. Exprimi solet per particulam: *si, nisi, modo...*, etc.

Multiplex est conditio, quae contractibus apponi potest, scilicet 1^o *expressa*, vel *tacita*; — 2^o de *praesenti*, vel de *futuro*; — 3^o *possibilis*, vel *impossibilis*; — 4^o *necessaria*, aut mere *contingens*; — 5^o *honestas*, vel *inhonesta*; — 6^o *potestativa*, vel *casualis*, prout est in potestate contrahentis, vel non est (2); — 7^o *positiva*, vel *negativa*; — 8^o *contraria* substantiae contractus, vel non

796. **Resolves.** — 1^o Omnes conditiones impleri debent eo sensu, quo contrahentes prudenter censentur se obligare voluisse.

2^o Conditio de re turpi aut impossibili contractum nullum tum iure naturae tum civili reddit. Ratio est, quia nemo potest ad aliquid turpe aut prohibitum se obligare. Excipiuntur tamen in iure civili, tum communi, tum Gallico, donationes inter vivos et per testamenta, in quibus conditiones *turpes* pro non adiectis habentur. — *Cod. civ.* 900. (*). — Idem dicendum de conditione turpi aut impossibili matrimonio adiecta, modo substantiae contractus contraria non sit. — *Ita ex Iure canonico.*

3^o Conditio de *praesenti* et *praeterito* non suspendit obligationem, sed illam statim vel adducit, aut non inducit, quia vel existit, vel non; proinde hic et nunc vel contractus validus est, vel nullus.

4^o Conditio non tantum aequivalenter, sed in propria forma adimpleri debet. Excipiunt aliqui conditionem, *si nupseris*, quam impleri di-

(1) Conditionem hic, potius quam *qualitatem*, definiens esse *circumstantiam* dispositioni seu contractui adiectam, a cuius existentia dependere volumus illius valorem (Schmalzgr. lib. 4. tit. 8. n. 1.).

(2) Huic partitioni tertium alii addunt membrum, conditionem nempe *mixtam*, quae partim ab contrahentis arbitrio, partim ab incerto eventu pendet.

(*) Ex iure Gallico in qualibet dispositione inter vivos aut testamentaria, conditio impossibilis aut contraria legibus vel bonis moribus pro non scripta habetur art. 900. Cf. ibid. cl. Allegre. Ex iure italico donatio inter vivos (nam aliam non agnoscit) facta sub conditione impossibili vel contraria legi aut bonis moribus est nulla C. C. art. 1065.

cunt per ingressum in Religionem; secus enim conditio turpis esset. — Vide S. Lig. n. 930. Excipe, si conditio esset determinata ad aliquam personam, v. gr. si nupseris Paulo; quia iusta et honesta ratio tunc adesse potest.

5^o Conditiones *potestativae*, seu quae a voluntate unius contrahentium pendent, adimpletae censentur non solum cum id praestatur, quod instar conditionis iniunctum fuit, de quo nulla esse potest controversia, sed etiamsi id reipsa non praestetur, quando scilicet ille, qui se obligavit, vel 1^o impedit quominus conditio adimpleretur (3); vel 2^o ab altero impeditus est, ne conditioni satisfaceret (4). — V. *Casus*, n. 787. et seq.

PARS SECUNDA

DE CONTRACTIBUS IN SPECIE

Ac 1^o de contractibus gratuitis; 2^o de contractibus onerosis.

SECTIO I.

DE CONTRACTIBUS GRATUITIS

Nimirum 1^o de promissione; 2^o de donationibus; 3^o de commodato et precario; 4^o de deposito et sequestro; 5^o de mandato et gestione negotiorum; 6^o de mutuo...

CAPUT I.

DE PROMISSIONE

797. — Promissio est contractus, quo quis libere et spontanee sese obligat ad aliquid gratuito praestandum vel omittendum in alterius favorem. Conditiones ad obligationem promissionis requisitae sunt; 1^o Ut adsit voluntas se obligandi, saltem virtualis et implicita, quam censetur habere, quisquis serio vult promittere, etsi ad obligationem non advertat.

2^o Ut consensus eiusdem promittentis plene sit liber et spontaneus, ac proinde absit omnis error et dolus circa substantiam et causam finalem, omnisque coactio vel metus iniustus.

(3) Non ita semper contingit; potest enim quis contractui apponere conditionem, quam implere vel non implere sit in eiusdem apponentis libera potestate. Sic v. gr. potest quis nuptias promittere, nisi sacris malit initiari. Imo haec conditio tacite subintelligitur in contractu sponsalium, nempe, nisi malim religionem ingredi, aut sacros ordines suscipere etc.

(4) Duplicem casum, in quo etiamsi non id praestetur, quod pacto cautum fuerat, conditio tamen impleta censetur, habes 1^o Si implementum conditionis impediverit tertius, cuius intererat eam haud impleri, cum contrahens implere ipsam vellet; 2^o Si impeditum sit implementum facto tertii, in cuius persona conditio implenda erat. — Vid. Voet, lib. 28. tit. 7. n. 19.

3^o Ut ipsa promissio sit exterius manifestata, et acceptata; siquidem omne pactum debet constare mutuo consensu duorum vel plurium in idem obiectum; et aliunde nemo censetur velle sese erga aliquem obligare, nisi iste acceptet.

798. **Quaesita.** — **QUAER.** 1^o *Quae et quanta sit obligatio promissionis semel acceptatae?*

Resp. Controvertitur inter Theologos. Triplex datur sententia probabilis, iuxta S. Lig. n. 720. (1).

(1) Utique haec trium diversarum sententiarum distinctio apud S. Alphonsum cernitur (lib. 3. n. 720.), sicut et apud Salmanticenses (Tr. 14. cap. 4. n. 78.-83.), e quibus eam S. Doctor desumpsit. Alio tamen ordine tres sententiae apud hos proponuntur. *Primam* enim hi ponunt, quam A. *secundo* loco habet: *secundam*, quam A. *ultimam* refert; *tertiam* vero, quam A. *primam* exhibet.

Caeterum Salmanticenses tantum non hanc suam ipsorum fabricam destruunt. *Primam* enim (apud A. *secundam*) sic proponunt (l. c. n. 79.): *Prima sententia dicit, esse peccatum mortale non implere promissionem acceptatam, et esse ex iustitia promissorem obligatum, etiamsi nullum aliud damnum eveniat promissario.* Sed deinde ubi de *secunda* (apud A. *tertiam*) disserunt, subdunt (l. c. n. 81.) plerosque pro illa sententia citatos potius stare pro ista. Ita illi: *Et ex auctoribus primae sententiae plures re ipsa illi (sc. secundae) adhaerent, cum eandem obligationem gravem in promissione ad intentionem promittentis reducant, et nos multoties in hoc Cursu obiter de hac re agentes cum hac probabilissima opinione conformati sumus.* At si ita se res habet, cur ergo Salmanticenses pro prima illa sententia eos auctores allegant, et non potius citantur pro *secunda*? Adde insuper, quod alii ab ipsis pro prima illa sententia allegati de promissione disputant, prout etiam locum habet in contractu *oneroso*, uti v. gr. Silvester (V. *Pactum* q. 4.),

Sotus (*De Iust. et Iur.* lib. 7. Q. 2. art. 1. ad 1.), S. Antoninus (part. 2. tit. 10. cap. 4. §. 4.) et Covarruvias (In C. *Quamvis pactum*, part. 2. §. 4. n. 13.), quas binas postremas allegationes adoptavit, sicut et quas alias habet, S. Alphonsus (l. c.). At enim cum in contractu *oneroso* necessario intercedat obligatio *iustitiae*, Salmanticenses vero non disputent de promissionibus *contractus onerosi* propriis, iam et isti auctores abs re citantur. Itaque prima ista sententia, prout a Salmanticensibus exhibetur, tantum non apparet eum figmentum ab ipsis excogitatum.

Sed rursus cum ad tertiam veniunt (prima est apud A.), sic eam describunt (l. c. n. 82.): *Tertia sententia, quam modo amplectimur, ... asserit, per se loquendo promissionem simplicem et gratuitam solum obligare sub veniali.* Verumtamen ecce (l. c. n. 83.) subiungunt: *Nec obstant, quae pro sua parte adducit secunda sententia; non enim negamus, posse quemlibet se ex iustitia obligare, nullo debito praecedente, sicut potest gratis pro alio fideiubere, quia fideiussio in fieri est gratis, et semel facta obligat ad solutionem ex iustitia.* Ergo hic fatentur, promissorem posse semet obligare ex iustitia, quae ex genere suo importat gravem obligationem, et cuius violatio ex genere suo est grave peccatum. Ergo demum Salmanticenses recidunt in sententiam *secundam* (apud A. *tertiam*), quae ab ipsis ita describitur (l. c. n. 80.): *Secunda sententia dicit, pendere ex promittentis intentione,*

1^a SENTENTIA tenet, promissionem, *per se*, solum obligare sub peccato veniali, ex mera fidelitate. Ratio est, quia contractus gratuitus obligat solum vinculo fidelitatis, et fidelitas non videtur obligare sub peccato mortali, si alia incommoda absint. — Salmant. — Saettler, et alii.

quod promissio acceptata in gravi materia obliget graviter, vel non: si enim voluit promittens se ex iustitia et graviter obligare, hac adstrictus obligatione manebit; si solum ex honestate et fidelitate, quomodo contingit frequenter, solum leviter obligatus erit: et ita asserit iudicandum esse, quoties non constiterit de opposito.

Concludere igitur demum licebit, et primam (apud A. *secundam*), et tertiam (apud A. *primam*) Salmanticensium sententiam ex ipsorum confessione in eorum *secundam* (apud A. *tertiam*) recidere; unde sequitur, hanc trium diversarum sententiarum distinctionem figmentum quoddam esse, quod ipsimet eius fabricatores suis manibus destruunt.

Illud difficile Salmanticensibus visum est (l. c. n. 83.), quod quispiam *nude velit promittere non addito alio, et quod amplius se velit obligare, quam ex fidelitate.* Verum non item difficile hoc visum est Lugo, qui rem sic explicat (disp. 23. n. 91.): *Non apparet, cur non possis gratuito et sine ullo debito praecedenti velle te ex iustitia obligare alteri ad dandum vel faciendum aliquid postea in eius gratiam. Sicut enim potes ei gratuito donare domum, atque ideo transferre in ipsum ius aliquod reale in domum tuam, quod sit obiectum propriae iustitiae, cur non poteris transferre in ipsum gratuito ius, non in re sed ad rem, et te constituere debitorem eius ex debito iustitiae? Totum quippe illud, quod potest ex pretio dari, potest etiam dari gratis; et sicut potes domum pretio vendere, ita potes eam etiam gratis dare, et ita in utroque casu aequae das ius*

proprium iustitiae in domum; ergo sicut potes pretio accepto ex iustitia te obligare ad aliquid postea faciendum vel dandum, ex qua obligatione das ius ex iustitia propria adversus te, ita poteris hoc ipsum ius dare gratis et constituere te debitorem ex iustitia, velut si pretium pro hac obligatione accepisses.

Discrimen autem inter promissionem, quae ex *iustitia*, et quae ex mera *fidelitate*, obliget, sic idem Lugo (l. c. n. 14.) proposuerat: *Respondeo, differentiam magnam esse quoad hoc* (scil. vim promissionis iuxta diversam promittentis intentionem) *inter iustitiam et fidelitatem: nam iustitia solum obligat ad non laedendum ius alienum, seu ad non usurpandum id, quod est alterius, sine eius consensu: quando autem non fuit voluntas in promittente dandi ius alteri, non fuit translatum tale ius, quia res nostra sine consensu nostro transferri non potest: unde non potest iustitia obligare ad servandum ius alienum, quod revera non est, quia illi nihil debeo, quando promissio erat mere gratuita, et sine alio promissarii praeiudicio. Fidelitas autem, ut communiter dici solet, non obligat ad id, quod alteri debeo, sed ad id, quod mihi met ipsi debeo: ideo enim dici solet, Deum, qui non ex iustitia obligatur, sed ex fidelitate, non debere quidquam alteri ex promissione sua, sed sibi met ipsi: quia obligatio illa non oritur ex iure, quod promissarius habeat, et quod illaesum promittens servare debeat, sed ex obligatione, quam ipse habet servandi fidelitatem in promissis. Nam sicut obligatio ex veracitate ad*

II^a SENTENTIA dicit, promissionem seriam in re gravi obligare sub gravi ex iustitia, independenter, ab intentione promittentis. Ratio est, quia promissio gratuita non est diversi ordinis ac promissio onerosa, ratione obligationis. — Antoine, qu. 3., etc.

III^a SENTENTIA, *communior et probabilior*, docet obligationem promissionis pendere ex intentione promittentis. Unde si ille intendat se ex iustitia obligare, obligatur sub mortali in gravi materia; si autem solum intendat se obligare ex fidelitate, sub levi tantum obligatur. — Lugo. — Billuart. — Sporer. — etc. Porro ad materiam gravem in promissione requirunt quantitatem quadruplo maiorem quam in furto mortali. — S. Lig.

Et haec quidem de promissione *proprie* sumpta. Nam saepius promissiones, quales communiter fiunt, neque ex iustitia, neque ex fidelitate

dicendum verum non oritur ex iure proximi, sed ex debito, quod ego habeo non impediendi mihi commercium humanum, et non abrogandi mihi fidem in assertis; sic obligatio ex fidelitate non oritur ex iure alieno, sed ex debito, quo mihi debeo non impedire mihi commercium humanum, et fiduciam aliorum ex meis dictis. Quod brevius alibi idem Lugo sic effert (l. c. n. 91.): Ostendimus differentiam inter fidelitatem et iustitiam in eo esse, quod fidelitas nullum det ius promissario, sed solum obliget ex eo, quod quilibet debet sua facta conformare promissis, quatenus necesse est ad convictum humanum, non solum quod verba concordent menti, quod pertinet ad veritatem, et opponitur mendacio, ... sed etiam quod facta concordent promissis, quod pertinet ad fidelitatem, et opponitur infidelitati.

Et haec quidem doctrina vere communissima dici debet, prouti etiam ex Salmanticensibus superius colligere licuit. Si qua enim dissensio inter Doctores appareat, ea potius ad modum loquendi, quam ad rei substantiam referenda est. Sunt videlicet, qui *promissionem veram*, ut inquirunt, aut *proprie* seu *stricte dictam* appellant eam tantummodo, quae ex iustitia

obligat, atque adeo gravem ex genere suo infert obligationem; hanc autem distinguunt a promissione non vera, aut minus proprie ac late dicta, quam et *assertionem* vocant, quae ex fidelitate tantum promittentem constringit. Ita v. gr. Laymann (lib. 3. Tr. 4. c. 12. n. 1.): *Duplex est promissio: una improprie dicta, cum intentio dicentis, se facturum aliquid in alterius hominis gratiam, solum est ad obligandum se ex virtute fidelitatis et veracitatis, secundum quam in dictis constantes, veraces, ac fideles esse debemus, cuiusmodi constantiae et fidelitatis obligatio ex genere suo et per se loquendo levis est, solum sub peccato veniali... Altera vero est promissio proprie dicta, cum intentio promittentis est ex iustitia se obligare, ita ut alteri promissionem acceptanti ius et actio, tamquam vere debitum exigendi, saltem in conscientiae foro, acquiratur ... et talis promissio ex genere suo obligat sub peccato mortali.* Eadem prope habes apud Lessium (lib. 2. c. 18. n. 55. et 58.), Sanchez (*De Matrim.* lib. 1. disp. 5. n. 20.), Palaum (*De Matrim.* disp. 1. p. 2. n. 14.), Trullench (lib. 7. c. 16. dub. 6. n. 2. 3.), etc.

obligant; quia promittens non intendit suam fidem stricte obligare, sed mere propositum suum enuntiare.

799. — QUAER. 2^o *Quid in dubio, an aliquis voluerit se obligare sub gravi aut sub levi iuxta patronos tertiae sententiae?*

Resp. Probabilius pro minima parte standum est, quia in dubio non est imponendum onus certum, praesertim in promissione, quae maximam requirit spontaneitatem. — S. Lig. n. 720. Certum praeterea est, promissionem serio factam et acceptatam in re gravi posse, *per accidens*, obligare sub gravi ex iustitia; ut si intercederet ratio ingentis damni proximo obvenientis ex promissione non servata. — Scavini.

QUAER. 3^o *An aliquis possit promissionem acceptare per alium?*

Resp. Affirm. Potest quis acceptare promissionem per quempiam ad id electum, aut per familiarem, quia unam moraliter personam cum eo constituere censetur. Potest etiam promissionem acceptare per alium, qui eius eura gerit, v. gr. pater pro filiofamilias, Religiosus pro monasterio, Praelatus pro Ecclesia sua, uxor pro marito.

QUAER. 4^o *Quandonam cesset vis promissionis acceptatae?*

Resp. 1^o Si promissarius sponte condonet, aut iuri suo cedat. — 2^o Si res promissa fiat illicita vel inutilis. — 3^o Si promissarius non stet suis promissis. — 4^o Si status rerum vel personarum ita mutetur, ut promissio non videatur illum eventum comprehendere. — 5^o Si causa, quae ad promittendum movit, nullatenus subsistat (2). — S. Lig. ibid.

800. — QUAER. 5^o *An, vel quatenus obliget promissio, si ante executionem moriatur promissarius, vel promittens?*

Resp. ad 1^{um} Disting. Nullo modo obligat, si promissio facta fuerit principaliter in gratiam promissarii; quia, eo mortuo, cessat finis in promissione intentus; secus autem, si promissio facta sit praecipue intuitu familiae promissarii, vel ipsius heredum.

Resp. ad 2^{um} Mortuo promittente, promissio debitis vestita conditionibus ab eius heredibus adimplenda est; quia omnis obligatio realis ad heredes transire debet eodem modo, eodemque titulo, quo promittens obligabatur. Proinde sub gravi vel sub levi, ex iustitia vel fidelitate, tenebuntur heredes, sicut promittens, dum vivebat, tenebatur. Poterunt tamen ab omni obligatione liberari, si ex adiunctis rei, aut ex signis manifestum sit, promittentem voluisse tantum se personaliter obligare. — Lugo. — Reuter, etc.

CASUS. *Sylvinus* famulae suae *Perpetuae* interdum dicitur, se ipsi, praeter annum stipendium, centum scutata erogaturum esse, vel eandem

(2) Postremum hoc, si universim sumatur, verum non est. Nam causa praeterita, utut falsa, generatim loquendo non

nocet, et pro non adiecta habetur. Vid. Voet, *In Pand.* lib. 35. tit. 1. n. 9.

pecuniae summam in suo testamento mox conficiendo, legati instar, esse relicturum. Sed ecce! repentina morte corripitur *Sylvinus*, antequam propositum perficere potuerit. *Perpetua* vero absque mora promissam sibi pecuniam clam surripere festinat. An recte? *Resp.* Minime. Promissio enim non dat ius *in re*, nec proinde ullam facultatem rem promissam propria auctoritate occupandi (3). — *Vide supra, de Iust.*, n. 521. — Caeterum communiter hae promissiones non sunt nisi mera *propositi* significatio, et dumtaxat voluntatem aliquid donandi enuntiant. — *Gousset.* — V. *Casus*, n. 797. et seq.

CAPUT II.

DE DONATIONIBUS

ac 1^o de donationibus in genere; 2^o de variis donationum speciebus.

ARTICULUS I. — DE DONATIONIBUS IN GENERE

801. — Donatio in genere est cessio gratuita alicuius rei in favorem alterius. Duobus praecipue modis fieri potest, nempe *inter vivos* et *per testamentum*, ut dicemus in articulo sequenti. Nunc autem dicendum occurrit 1^o de conditionibus donationis; 2^o de casibus nonnullis, in quibus donationes, licet validae, non plenum sortiuntur effectum.

§. I. De conditionibus donationis (1).

802. **Principia.** — I. *Ex parte donantis* requiritur, 1^o ut non sit incapax *de facto*, id est, ut sit sanus mente, quando vel donatio *inter vivos* perficitur, vel conficitur testamentum, et ut cum sufficiente libertate

(3) Promissio tamen, si ex iustitia fiat, dat promissario ius ad rem (De Lugo disp. 23. n. 100.). Vide praeterea, quae Auctor infr. n. 836. habet. In casu autem et illud advertendum, quod promissio *Sylvini* censetur remuneratoria: donationes autem remuneratoriae (quod etiam Auctor infr. n. 828. notat) quamdam potius debiti solutionem, quam gratuitam cessionem praesferunt.

(1) Ex mente Auctoris intelligenda hic est ea donatio in genere, quam paulo ante definit per *cessionem gratuitam alicuius rei in favorem alterius*. Et cum sequitur Gallicum Codicem (art. 893.) idem Auctor duplicem cessionis huius gra-

tuitae modum statuatur, nimirum *per donationem inter vivos, et per testamentum*; proinde hac paragrapho complecti voluit quae ad utrumque istud cessionis genus pertinent. At enim haec materiae dispositio haud mediocrem inducit confusionem, ut legenti facile patet: quippe quae ad alterutrum cessionis modum spectant, haec ceu pertinentia ad genericam cessionis gratuitae rationem traduntur. Quae rerum confusio cum perspicaciam Auctoris effugere non potuerit, dicemus, eum criterio legentium plane fuisse confisum, et idcirco nullam periculi ex hac confusione impendentis rationem habendam iudicasse.

agat; 2^o ut non sit incapax de iure, quando donationem perficit, aut testamentum condit.

II. *Ex parte donatarii* requiriturabilitas ad recipiendum. Habiles autem sunt omnes homines, qui recipiendi donationes per legem non constituuntur incapaces. Nec inhabiles habendi sunt infantes, amentes, vel alii usu rationis carentes, cum sint domini capaces, et res acceptare vel occupare per alios possint, v. gr. per parentes, tutores etc., iuxta dicta in *Tractatu de Iustitia*, n. 542.

803. **Quaesita.** — **QUAER.** 1^o *Quinam ex iure inhabiles sint ad donandum?*

Resp. 1^o *Ex Iure Romano* sunt sequentes: 1^o surdi simul et muti a nativitate, nisi scribere sciant; 2^o damnati crimine capitali; 3^o pupilli vel impuberes, nisi agatur de rebus parvi momenti; 4^o coniuges inter se, nisi donatio sit modici momenti; 5^o pater erga filium sub sua potestate manentem, excepta causa matrimonii, belli, studiorum et similibus (2).

Resp. 2^o *Ex iure Gallico* incapaces sunt 1^o minores, nisi ratione contractus coniugalis; 2^o interdicti, qui egent assistentia consilarii a iudicibus concessi; 3^o uxores absque consensu mariti, aut iudicis auctoritate; 4^o negotiatores, qui obligationibus adimplendis impares sunt in casibus lege determinatis. — Art. 446. *Cod. comm.*

804. — **QUAER.** 2^o *Quinam donationem accipere nequeant?*

Resp. 1^o *De iure communi* acciperent invalide 1^o omnes accipientes ab iis, qui donationes facere nequeunt, iuxta dicta supra n. 803.; 2^o accipientes ab iis, qui sunt aere gravati: et hi quidem iuxta veriore sententiam ad compensationem damni creditori inde obvenientis tenentur. — S. Lig. n. 722.; 3^o accipientes in defraudationem *legitimae*, quae heredibus necessariis debeatur. — S. Lig. n. 722. 740. etc.

Resp. 2^o *De Iure Gallico* inhabiles sunt 1^o qui non erant concepti tempore donationis, vel quoad testamentum, tempore mortis testatoris; 2^o tutor respectu pupilli, antequam administrationis bonorum reddiderit rationem, nisi sit unus ex ascendentibus; 3^o filii adulterini et incestuosi,

(2) Quae hac responsione continentur, accipienda sunt de *donatione inter vivos*, non vero de *donatione in genere*, quae complectitur etiam cessiones per testamenta. Nam coniuges et pater reipsa non sunt inhabiles ad illas donationes per testamentum. Sed et illud, quod de impuberibus dicitur, non undecumque verum est. Nam valet, absolute loquendo, de testamentis; sed donatio proprie dicta

non est impuberibus interdicta, ubi accedat tutoris auctoritas, et quidquid aliud ad alienationem bonorum pupillarum requiritur. Idipsum dicito etiam de iis, quae in responsione secunda subiiciuntur secundum ius Gallicum. Nam praeterquam quod minores ne per testamentum quidem disponere quidquam possunt, nisi ad annum 16. pervenerint, reliqua tantum ad donationes inter vivos spectant.